

27 d Comprehendit sub æquilateris planis æqualitatem angulorum.

28 d Subtiliter explicat omnes differentias ex æqualibus æquilateris æquiangulis, quia hæc omnia in quinquangulis separari possunt.

29 d æqualitatem angulorum comprehendit sub æqualitate laterum, ut 27 d. Hoc enim ex basibus triangulis utrique commune est.

LIBRI VIGESIMI SEXTI FINIS.

PETRI RAMI SCHOLARUM  
MATHEMATICARUM  
LIB. XXVII. IN PROPOSITIONES

*undecimi elementorum.*



Dhuc igitur 29 definitionum materies fuit: sequitur doctrina propositionum, in quibus primùm declaratur ad vicesimam vsq; propositionē linearum & planorum perpendiculum & parallelismus, è quibus propositionibus nulla est admodum demonstrabilis. Materies enim ferè est principii aut è principio protinus postulandi. Itaque elenchus quinti & decimi libri huc præcipuè recurrit, quo materies principiorum per se evidentium in disputabiles quæstiones convertitur. Sed elenchus in singulis propositionibus manifestus apparebit. Duæ propositiones primæ sunt de lineis rectis planis, neq; stereometricum quidquam habent.

1 p 11 Negatio est, ideoq; expers artis. Ars enim duntaxat præcepta affirmata recipit. Debit igitur, si quid tamen interesset, sic affirmari. Recta tota est in uno plano. At isto modo etiam insolens propositio esset, quia definitio quædam esset lineæ rectæ, ut putavit 4 d 1. Demonstratur autem à Theone per impossibile non minus absurdum. Esto enim lineæ rectæ *abc* pars *ab* in plano, pars *bc* in sublimi, & continuetur *bd*, duabus lineis rectis *abc* & *abd*, ut hic vides *a—bc—d* non erit tantum unum commune punctum, sed totum segmentum commune erit, quod tantum principium est Theoni. At id in nullo antea principio à Theone nominatum est. Et causa fuit illa Zenoni epicureo Euclidem carpenti ad fabricam trianguli æquilateri, de quo antea. Campano autem deducitur è 13 p 1 tanquam si ad utriusque rectæ concursum perpendiculum aliquod caderet, faceret utrinque duos angulos æquales duobus rectis, unde pars efficeretur æqualis toti vel cōtra *ἰσάροισιν*, quod duarum rectarum pars congrueret, pars non congrueret. At aliud deduci posset incommodum brevius, quod recta unica faceret rectilineum angulum. Verùm sumendum id fuit & postulandum multo etiam justius quàm argumentum quo ab Euclide vel Theone demonstratur, postulandum (inquam) lineam rectam esse in uno plano: quod si objicias lineam rectam esse in superficie conica & cylindracea, respondebo rectam illam esse terminum plani conum & cylindrū secantis.

2 p 11 Si duæ rectæ secent sese, in uno sunt plano, & omne triangulum in uno est

est